



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Gertrudis. V. 17. Mart.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

180 VITÆ SANCTORUM. 17. Mart.
cœpit. Hæc enim, velut fabella, risu ex-
cepta. At PATRICIUS locum, ubi dicebat,
scipione suo cùm signasset, amplum terra
hiatum aperuit, iussitque non fictis voci-
bus inferos ipsos concionari. Tunc verò
inferos esse inferis creditum est, locusque
is Purgatorium *Patricii* appellatus, qui
cùm omnem eam gentem in libertatem
filiorum *Dei* asseruisset, annos natos C.
XXII. ex corpore, altera servitute, abiit.
Pilei loco Superi coronam donarunt. Ex
Lippeloo & Pet. de Natal.

*Propterea rectum fecit Deus hominem
etiam corpore ipso, & os homini sublime de-
dit, cum pronantique spectent animantia
cætera terram; ut attollens ad sidera
vultus illicò suspiret, ubi tam beatam &
perennem conspicit mansionem. S. Bernard.
serm. de SS. Mart.*

S. GERTRUDIS. V. 17. Mart.

GERTRUDEM quoque ob sangui-
nem, quem nobilissimum inter Gal-
los habebat, sanctè superbam videsses.
Quare cùm eam juvenis (è principe &
ipse familiâ) sponsam sibi à parente Pi-
pino peteret, ipsumque adeò Regem Da-
gobertum, qui tum fortè epulo hospes a-
derat, oratorem haberet, contempsit ta-
men mortalem sponsum GERTRUDIS, &
jurejurando palàm firmavit, non nisi
immortali nupturam se, nec aliam do-
tena

17. Mart. VITÆ SANCTORUM. 181.
rem præter cælum admissuram. In has
deinde leges à morte Pipini Virginem
D. Amandus Christo despondit. Mox cæ-
li prodigia castissimam sponsam hono-
rarunt, Nam precantem ignea & è cælo
delapsa sphæra visa est coronare, & ejus
ope servati nautæ à mortis periculo, quod
immanis cetus jam jam minabatur. Sed
vel nomen *Gertrudis* pro scuto fuit, mer-
sitque subitò, quod navim jam mergere
videbatur, monstrum. Jam diem ultimū
quem, quidem ut nuptialem *Gertrudis* a-
mavit, monachus illi prædixit *Ultanus*,
commeatum è cælo D. *Patritium*, &
beatos Angelos spondit. Virtutis odo-
rem etiam à morte tumba, quam longè
antè fieri ipsa mandaverat, suavissimum
spiravit. Ipsa, ne vivere etiam mortuam
dubitares, diversorum oculis se objecit
cælesti luce circumfusa. Visa etiam ignes
grassantes à monasterio illo velo averte-
re, quo impuras olim flammæ suffoca-
verat. Tam facile etiam indomitum
Vulcanum est vincere illi, qui *Venerem*
vicit. Ex *Surio*.

*Qui Christum videre querit, cælum, un-
de Christus est, non terram, de qua aurum
est, intueatur. Divites, qui sursum est, non
portat sed proculcat divitias, nec incurva-
tur divitiis, sed levatur, Divitiarum ser-
vus, non dominus est avarus: at misericors
tot servos habet, quot nummos. S. Pet.
Chryf. serm. 4.*

M 3

S. E-